

342 *De qualir. Abbatiff. eligenda.*  
erogandæ sunt; idque sine alio particulari ius-  
su Pontificis, vel alterius, & sine ulla peti-  
tione monialium, vel quorumcunque alio-  
rum, dummodo duplex conditio concurrat;  
una, ne illæ eleemosynæ sint in pauperes  
certos erogandæ; altera, ut, licet pauperibus  
incertis erogandæ sint, non tamen sint ad usus  
alios, præterquam ad pauperum sustentatio-  
nem, & alimenta destinatæ.

### C A P U T IX.

De obligationibus Monialium quoad electio-  
nem Abbatiffæ.

#### S. I.

*De qualitatibus eligenda in Abbatiffam.*

*Quar. I.* **Q**uot annos ætatis, & professio-  
nis, habere debeat eligenda in  
Abbatiffam.

*Resp.* Ex Trid. *sess. 25. de Regul. c. 7.* Abbatiffa  
non minor eligenda est annis quadraginta, &  
quæ octo annis post emissam professionem lau-  
dabiliter vixerit. Hæc ætas debet esse completa  
de momento in momentum. *Passer. de elect. c.*  
*40. n. 17.* Ita quod super hac neque Episcopus,  
neque Nuncius Apostolicus, vel alius Superior  
possit dispensare, quod certum ait Tamb. *Nemo enim Summo Pontifice inferior potest dis-*  
*pensare in lege conciliari.* Facilius tamen,  
ut notat Suarez, & cum minori causa est dis-  
pensabile tempus religionis, quam ætatis, quia  
plus confert ad alios regendos ætatis maturi-  
tatis, quam religionis antiquitas. Non atten-

ta ætatis qualitate a Concilio requisita electio  
est ipso jure nulla. Tamb. Barb. Aldan. asserens  
ita fuisse declaratum a S. Congr. *in Viterbien.*  
*16. Maji 1623.* & moniales aliter eligentes  
privari pro illa vice facultate eligendi, tra-  
dunt Labor. & quidam alii; quod negat Pas-  
serin. quia non levis poena est irritatio electionis.

*Quar. 2.* Quid faciendum, si non adsit in  
monasterio habens suprascriptam ætatem requi-  
sitam a Concilio.

*Resp.* Ex eodem Conc. Aliqua ex alio ejus-  
dem Ordinis monasterio eligi potest; nulla-  
tenus tamen ex alio Ordine, nisi ex Summi  
Pontificis indulto, ut notat Pasq. *in Laur. n.*  
*680.* quia tanquam alienam regulam professæ,  
ad regendas diversi Ordinis moniales non re-  
putatur idonea. Non est tamen necesse, quod  
deficiente quadragenaria, alia eligatur ex alio  
monasterio, sed eligi poterit ex eodem mo-  
nasterio habens triginta annos ætatis, & quin-  
que professionis. Quia Concilium hoc relin-  
quit arbitrio illius, qui præest electioni. Ve-  
rum si in monasterio adsint moniales quadra-  
ginta annorum, & octo professionis, non po-  
terit eligi aliqua, quæ deficiat a dicta ætate,  
aut tempore etiam per mensem, licet habi-  
lior censeatur; aut quæ deficiat ab ætate tri-  
ginta annorum, & quinque professionis in  
concurso illius, quæ habet dictam ætatem &  
tempus, ut notant Labor. & Tamb. & decla-  
ravit Sac. Congr. *in Viterbien. S. Rosa 25. Martii*  
*1623.* Quare si una tantum in monasterio re-  
periatur habens ætatem præscriptam a Concilio,  
& tempus professionis, debet eligi, nisi esset  
inhabilis ex alio capite; quia cæteræ, quam-  
vis quoad prudentiam essent habiliores, ef-

sent tamen positive inhabiles ratione impedimenti ætatis, & temporis a professione, quia Concilium hoc solum concedit, quando in eodem monasterio nulla cum præscriptis qualitatibus reperitur. Unde si expediret vel ob pacem monasterii, vel ob alias causas aliam eligi, recurrendum esset ad Sac. Congr. ut juxta indigentiam monasterii provideret.

*Quar. 3.* An carens debita ætate, & tempore professionis, eligi possit in Vicariam.

*Resp.* Non posse, si non habeat supra se aliam Superiorissam, & gubernet in capite, quia fieret fraus legi; nam revera eligeretur ad exercendum munus Abbatissæ sub alio nomine, & Concilium requirit has qualitates tanquam necessarias pro munere rite obeundo, non pro nomine obtinendo. Ita Tamb. & Pasqual. *loc. c. num. 658.* ubi addit, quod quando adelsset aliqua difficultas, ita ut esset necessario per aliquod tempus protrahenda electio, potest tunc pro interim eligi in Vicariam, quia tunc regimen monasterii transeunter ipsi imponitur.

*Quar. 4.* An illegitimæ eligi possint in Abbatissas.

*Resp.* Quod possint eligi sine dispensatione, tenent Miranda, Rodriq. Portel. Diana, & Lavor. adducens decretum Sac. Congr. *die 4. Octob. 1594.* Communior tamen sententia negat. Ita Navar. Majol. Homobon. & Aldan. qui refert ita fuisse decisum a Sac. Congr. *die 27. Aprilis 1630.* Unde hæc declaratio, utpote posterior allegata pro prima sententia, est tenenda. Favet quoque ratio; est enim regula, quod masculinum concipit femininum, interveniente identitate rationis. Cum

ergo jura arceant illegitimos intuitu illegitimitatis, c. 1. *Et c. fm. de sit. presbyr.* arcebuntur etiam scemine tanquam in masculino conceptæ, quia ratio illegitimitatis est communis, seu potius eadem in utrisque. Hinc neque eligi posse in Abbatissas infames infamia juris, vel facti, tradunt Majol. Vivald. Navar. & Barb. Neque descendentes intra quartum gradum ex maculato genere, ex Const. Pauli IV. innovata a Gregorio XIII. dispositio enim in utroque casu procedit etiam in sceminis ex identitate rationis.

*Quar. 5.* An corrupta eligi possit in Abbatissam.

*Resp.* Negative cum viginovem Doctoribus, quos refert, & sequitur Pasqual. *loc. cit. n. 690.* fundamentum desumitur, ex c. *Juvenclus 20. q. 1. & c. si quis omnem 1. q. 7.* & affertur declaratio Sac. Congr. *die 15. Julii 1616.* & in hanc sententiam videtur inclinare Lezana, qui tamen concludit, standum esse consuetudini. Docent alii, posse eligi corruptam, quando Abbatissæ non impertitur benedictio specialis Virginum. Ita Rodriq. Portel. Sanch. & D. Anton. Et quidem si consideretur dispositio Concilii, non videtur excludi corrupta; nihilominus Sac. Congr. Episc. servari vult, quod non eligatur, nisi prævia dispensatione.

Non videtur tamen obflare corruptio secreta, & occulta, sed tantum publica, qualis est in viduis, de quibus tantum procedit declaratio Sac. Congr. Incorruptio enim solum requiritur ob quandam externam decentiam, cui solum obstat corruptio publica, & nota. Unde si aliqua eligatur, cujus corruptio sit secreta, non debet renunciare,

saltem quando renunciatio posset aliquam corruptionis suspicionem generare. Bigamiam non obstat electioni Abbatisæ, tener Rodriq. quia, sicuti foeminae sunt incapaces Ordinum, ita sunt incapaces irregularitatis ex bigamia, quæ posita est tantum respectu Ordinum, ad quos inhabilitat. Oppositum docent Majol. Vivald. & Tamburinus.

*Quar. 6.* An possit eligi in Abbatisam monialis cæca, aut surda, aut muta.

*Resp.* Negative; habetur quoad cæcam ex *cap. hinc etiam, §. cæcus dist. 49.* & *D. Th. in 3. p. 9. 32. a. 40. ad 3.* quoad surdam ex *cap. consuetudinem de verb. sign. in 6.* & ideo in jure civili surdus non potest gerere publicum officium, ut testatur Campan. in *diver. jur. can. rub. 11. c. 18. n. 37.* Quoad mutam ex Doctoribus, quos congerit *Peyr. t. 2. q. 2. c. 4. n. 18.* & *seqq.* Ratio horum omnium est, quia hujusmodi defectus rectam muneris executionem impediunt. Non enim potest, ut ex officii obligatione oportet, invigilare super moniales, si cæca; neque illarum necessitates, aut querelas audire, si surda; neque illarum culpas reprehendere, si muta. Tum quia, cum moniales teneantur digniorem eligere ad id munus, credibile non est, quod cæca, aut surda, aut muta, ponderatis omnibus circumstantiis, cæteris monialibus monasterii tanquam dignior sit præferenda.

*Quar. 7.* An possit immediate eligi Soror antecedentis Abbatisæ.

*Resp.* Posse, nisi Ordinis obstant Constitutiones. Videtur haberi ex declaratione Sac. Congreg. Episc. apud Navar. in *Lucerna Regul. v. Abbatisa.*

## §. II.

*A quibus, & quomodo eligenda sit Abbatisa.*

*Quar. 1.* **A** Quibus eligi debeat Abbatisa.

*Resp.* Eligi debet a monialibus ejusdem monasterii tacite, vel expresse professis. Inter moniales, quæ admittuntur ad electionem, non enumerantur Conversæ: sive hoc sit ex consuetudine, sive ex specialibus monialium constitutionibus, sive ratione status ipsarum; recipiuntur enim, ut serviant, non ut honorifica jura exercent. Ita Suar. Lezam. Tamb. Neque apud quasdam moniales admittuntur omnes choro deputatæ, quamvis professæ; sed solum certo tempore a professione elapso. Unde Porrel. habet; Statuta Franceseana Romæ edita 1621. requirunt quatuor annos a professione. Moniales Ordinis Prædicatorum non habent vocem in electione Abbatisæ nisi post duodecim annos elapsos a professione, ut refert Castellin. Quare semper consideranda sunt statuta, constitutiones, & consuetudines monasteriorum, quas servari jubet *Trid. sess. 25. de regul. c. 7.*

*Quar. 2.* Quomodo debeat ferre suffragium monialis infirma, si ad locum electionis convenire non potest.

*Resp.* Cum ex alibi traditis, & ex declaratione Sac. Congr. die 20. Junii 1595. non possit Præles electionis ingredi ad scrutandum suffragium monialis infirmæ, poterit, si monialis non renunciet juri suo, mittere duas moniales, quæ fideliter scrutentur votum ipsius, & referant

348 *A quibus eligenda sit Abbatissa.*  
rant Præsidi; aut poterit ipsa mittere scriptum,  
& sigillo munitum suum suffragium. Neque  
enim debet contemni, cum jus habeat ad  
electionem non minus, quam ceteræ.

*Quar. 3.* An Episcopus, vel Superior Regularis, aut Scrutator etiam in discordia eligentium possint ferre suffragium in electione Abbatissæ.

*Resp.* Negative ex LAVORIO, Castell. Tamb. & aliis, & ira pluries declaravit Sac. Congr. Episc. die 5. Martii 1619. & Concilii Tridentini die 13. Maji 1621. in quibus irritatur electio tanquam a non legitimis electoribus celebrata. Unde est rejiciendus Portel. in dubio regul. v. Abbatissa n. 9. sustinens Prælatum Ordinarium electioni præsentem posse ferre suffragium. Quod si contingat moniales non esse concordēs in eligenda Abbatissa, quia monasterium manere non debet sine capite, Episcopus, sive alius Superior præfigere debet certum tempus, in quo concordent; quod si eo elapso non conveniant in eligenda, nominabit eam, quam judicaverit magis idoneam, & deputabit in Abbatissam. Ita Sac. Congr. die 22. Octob. in una Cremonen. & die 20. Nov. 1595. in Assisien. apud Piafec. in praxi p. 2. c. 3. n. 58.

Hinc notandum singulare privilegium concessum a Gregorio XII. in sua Constitur. 15. sub die 16. April. 1374. Visitatoribus, Abbatibus, & Prælatibus monialium Ordinis S. Benedicti, nempe, quod si in electione Abbatissarum pro tempore contingat, quod moniales in duobus scrutiniis non eligant, possunt proponere duas, vel tres ejusdem monasterii, quas habiliores judicaverint, & ex

fic.

propositis illa censetur legitime electa, quæ in scrutinio plura vota habuerit, & proinde confirmanda sit. Hoc privilegio uti non possunt Episcopi quoad moniales dicti Ordinis S. Benedicti sibi subjectas, quia talis concessio facta est Prælatibus Religiosis; nam verba antecedentia, nempe *Visitatores, Abbates*, declarant de quibus Prælatibus Pontifex loquitur, & coarctant ad Prælatos Regulares, juxta doctrinam Surdi dec. 124. n. 8.

*Quar. 4.* Quomodo eligi debeat Abbatissa,

*Resp.* Tribus modis eligi posse, scilicet per modum scrutiniis, inspirationis, & compromissi. Quamvis enim Trident. sess. 25. c. 7. de reformat. præscribat modum scrutandi vota monialium in ordine ad electionem Abbatissæ, & proinde disponat per viam scrutiniis de electione; non tamen prohibet, ne aliis modis a jure concessis eligatur Abbatissa, ut inter alios notant LAVORIO, & Tamburini. Unde moniales compromittere poterunt in Superiorem præsentem electioni, seu in Confirmatorem, ut tradunt iidem Doctores. Quod si compromissarius semel pronunciaverit Abbatissam, quam elegit, non poterit variare discedendo ab ea, etiam si cognosceret postea se male elegisse, quia error debet corrigi ab alio, non ab ipso Compromissario, quia jam cessavit ejus facultas, cap. in litteris de ff. delegat. ubi Doctores communiter cum Gloss.

*Quar. 5.* An, quando eligitur Abbatissa per viam scrutiniis, vota debeant esse secreta.

*Resp.* Quod sic, ita ut eligentium nomina nunquam publicentur. Ita præcipit Concilium sess. 25. c. 7. Et proinde electio est nulla, si vota non sint secreta, ut notant Garzias, Zerola, Ro.

Rota coram Durano *dec. 232. n. 1.* Immo etiam si ex ignorantia vota non exhibeantur secreta, adhuc electio est nulla, Zerola, Tamburin & Riccius referens ita resolutum fuisse a Sac. Congregat. Per hoc tamen quod Præses electionis excipiat vota ore tenus exhibita, præsentem Notario, & aliquibus aliis ad quatuor, aut quinque, qui audiant, non tollitur secretum. Ita Garzias, qui addit, ex *decr. Sac. Cong. electionem fore secretam, & canonicam, etiam si juxta cap. quia propter de elect.* exciperent vota aliquæ scrutatrices de gremio Capituli.

*Quar. 6.* Quot suffragia requirantur pro electione Abbatissæ.

*Resp.* Duas partes requiri, tradunt Barbosa & Tamburinus ex rescripto Sac. Congr. *die 20. Novemb. 1585.* At sufficere majorem partem habito respectu ad totum Capitulum, tenent cum communi Miranda, Cuchus, & Rodriq. Quia de jure communi ad electionem canonicam sufficit major pars, *cap. quia propter de elect.* unde sufficit etiam pro electione Abbatissæ, cum nihil in jure adsit in contrarium.

*Quar. 7.* Quo in loco fieri debeat electio Abbatissæ.

*Resp.* Regulariter loquendo fieri debet in tali loco, ut is, qui debet præsidere electioni, non adstringatur ingredi claustræ monasterii; habetur expresse ex Concilio *loc. cit.* Potest tamen Præses electionis introire claustræ, si alias prudenter judicet, electionem non posse canonicè fieri, aut ex aliis iustis causis. Causa autem debet esse valdeurgens, cum debeat facere cessare dispositionem Concilii in oppositum. Quod si circa necessitatem Præses Regularis & Episcopus non conveniant, præse-

rendum esse judicium Superioris Regularis; erudit Pasqual. *loc. cit. n. 720.* quia ipse melius cognoscit moniales tanquam suæ curæ subiectas, & proinde melius judicare potest de causis, quæ exigunt ingressum.

*Quar. 8.* Quinam debeant præsidere electioni.

*Resp.* Si monasterium sit immediate subiectum Episcopo, aut sedi Apostolicæ, debet idem Episcopus præsidere; si vero sit exemptum, præsidet Prælati Regularis cum Episcopo, ut ex Constitut. Gregorii XV. Quare Regulares ex eadem Constitutione ita demum tenentur Episcopo significare diem electionis Abbatissæ, cumque usque ad præfinitum tempus expectare, si antea expresse declaraverit, se uti velle facultate sibi hæc in parte attributa, ut liceat animadvertere in Regulares, qui antetempus significatum, aut die electionis eidem non prænunciata, ad Abbatissæ electionem procedunt. Ita declaravit Sac. Congr. Concilii, cujus rescriptum reperitur in *4. par. Bullarii* post declarationes dubiorum Constitutionis suprædictæ. Attamen quamvis possit Episcopus intervenire electioni, non per hoc potest exquirere, & excipere vota eligentium; ut decrevit Sac. Congreg. Concil. *die 10. Septembr. 1636.* apud Pasqualig. *loc. cit. n. 688.*

*Quar. 9.* An Prælati habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem teneantur Regulares notificare electionem Abbatissæ faciendam.

*Resp.* Non teneri; quia facultas, quæ per Constitutionem Gregorii XV. de exemptorum privilegiis tribuitur Episcopo quoad Regulares exemptos, non competit talibus Prælati, ut respondit Sac. Congr. *ad dubium 4. ipsi* propositum super eadem Constit. Ex quo colligitur

Pasqual. loc. cit. n. 727. quod prædicta facultas concessa fuerit Episcopo intuitu dignitatis, atque adeo privative quoad alios; unde concludit electionem Abbatissæ non esse notificandam Vicario Capitulari, Sede vacante, neque Vicario Episcopali, existente Episcopo extra dioecesim. Quia tamen Sac. Congr. in *Avenion.* 13. Dec. 1639. declaravit, notificandam esse electionem Abbatissæ etiam Vicario, ipsi standum erit, si declaratio sit universalis.

## §. III.

Per quot annos eligi debeat Abbatissa.

Quar. 9. **A**N Abbatissa eligenda sit ad triennium.

Resp. Affirmative. Ita Greg. XIII. in sua Constit. quæ incipit, *Exposcit*, & si fiat ultra triennium, est nulla etiam pro toto triennio; quia stante decreto irritante; tota electio annullatur, juxta doctrinam Romani *cons.* 66. Quamvis tamen Pontif. prohibeat eligi Abbatissam ultra triennium, non per hoc præcipit, quod eligatur, per triennium, ut norant Tamb. Navar. & Lavor. qui refert declarationem Sac. Congr. 18. Novemb. 1595. in una *Arian.* Vel poterit eligi ad triennium, sed secundum formam Constit. Leonis X. ut scilicet teneatur singularis annis in manibus Visitatorum, aut aliorum Superiorum renunciare, & quod ipsi possint novas Abbatissas ponere, eligente Conventu, si ita expedire judicaverint. Et ad hanc formam reduci potest electio etiam in illis monasteriis, in quibus ex consuetudine, aut statuto eligitur ad triennium; dummodo id fiat per eos, ad quos spectat imponere leges promonialibus, quia cum hoc spectet ad bonum regi.

regimen, potest præcipi ab habente jurisdictionem. Pasqualig. ubi supra n. 673.

Quar. 2. An expleto triennio possit eadem Abbatissa sine Sedis Apostolicæ dispensatione reeligi ad aliud triennium.

Resp. Non posse, sed necessario vacare debere per aliud triennium, ita statuente eodem Gregorio in *supracit. Constitut.* Ex quo fit, quod, si intra triennium moriatur Abbatissa, aut alio modo vacet officium, non poterit eligi in Abbatissam, quæ præcessit in officio, quia non vacavit per triennium. Neque eligi potest in Vicariam, seu Priorissam, quæ gubernet monasterium in capite, per aliquod notabile tempus. Immo neque in Vicariam novæ Abbatissæ. Nam Gregor. XIII. præcipit elapso triennio sui officii, ut *omni profus careat auctoritate*. Quæ verba excludunt Vicariam, quæ in defectum Abbatissæ, quando vel ratione infirmitatis, vel ex alia causa non est præfens, fungitur munere Abbatissæ; unde non omni profus caret auctoritate. Hæc autem non habent locum in Abbatissis, quæ non sunt triennales, sed annuales, aut biennales; istæ enim poterunt eligi in Abbatissas, quoad usque compleant triennium, quia triennium integrum pro tali officio conceditur in *cir. Const.* Alia vero officia habenti annexam auctoritatem, regimen, & administrationem posse conferri Abbatissis annualibus, aut biennialibus, expleto munere, tradit Pasqual. quia *d. Const.* disponit solum de Abbatissis triennialibus.

Quar. 3. An si expleto triennio Abbatissa ex dispensatione eligatur ad triennium, possit rursus expleto secundo triennio de novo eligi ab eadem dispensatione ad tertium triennium.

Resp.

Resp. Non posse, ob rationem, quam adduximus cum de Confessario c. 6. §. 6. q. 4. Vidu etiam Pasqual. loc. cit. n. 717.

Quar. 4. An Collegium Oblatarum teneatur eligere Præsidentem triennem, an vero possit eligere perpetuam.

Resp. Posse perpetuam eligere. Quia Gregorius XIII. Sixti V. & aliorum Pontificum Constitutiones præcipientes, quod deinceps Abbatissæ, & Priorissæ eligantur triennales & non perpetuæ, loquuntur de monialibus normam, & disciplinam regularem servantibus, & non extendunt ad alias expresse. Quotiescunque autem canonica Constitutio statuit aliqua nova, & a jure communi exorbitantia de monialibus, solum est intelligenda de veris Religiosis, & regulam per S. Sedem Apostolicam approbatam professis, & non de aliis, quantumcunque religiose, & collegialiter viventibus, nisi expresse suam legem ad illas extendant, juxta c. indemnitate §. pen. de elect. lib. 6. Quare de Oblatis prædictæ Constitutiones non sunt intelligendæ, atque adeo poterunt Præsidentem perpetuam eligere. Roderic. 1. q. 57. art. 5.

## §. IV.

De Confirmatione & Benedictione  
Abbatissæ.

Quar. 1. An Quo sit confirmanda Abbatissæ.

Resp. Confirmationem Abbatissæ juxta dispositionem C. indemnitate de elect. in 6. fieri debere a Superiore monasterii. Quare si monasteria subjiciuntur Ordinario, debet ab ipso confirmari Abbatissæ electa; si subjiciatur immediate Sedi Apostolicæ, debet confirmatio peti

peti per procuratorem a Summo Pontifice, vel ejus Legato, juxta c. si Abbatem de elect. in 6. Si vero monasteria subduntur Regularibus, confirmatio spectat ad ipsos, ita ut Prælatus pro ipsis deputatus debeat confirmare, ut desumitur ex C. Monachi, & C. Monasterium de statu Monac. Et quidem confirmatio spectat ad Regulares private quoad Episcopos, ut declaravit Sac. Congr. in resolutione dubiorum sub Constit. Greg. XV. Inscrutabili, & ita etiam notat Tambur. de jur. Abbatiss. disp. 29. q. 1. n. 2. ubi advertit, electionem Abbatissæ, nisi aliud obster, esse statim confirmandam a Superiore, qui præfuit electioni, & confirmationem esse faciendam in loco, in quo est publicata. Addit tamen Miranda q. 2. de Monialib. art. 5. posse confirmantem ingredi claustra, si timeat aliquod periculum, aut scandalum ob moniales resistentes electioni, quia hæc est rationalis causa, & necessaria ingrediendi.

Quar. 2. An stante oppositione electio sit confirmanda.

Resp. Si electio facta sit per compromissum, & minor pars Collegii, seu aliquæ tantum opponant, tunc non obstante oppositione esse confirmandam, tradunt Rodriq. & Laym. de elect. q. 232. alserentes id colligi ex C. indemnitate §. Porro de elect. in 6. Si vero electio facta sit per scrutinium, & duæ partes consenserint, aut electæ a majori parte alia accedat usque ad duas partes, electio erit confirmanda, ut discernitur in d. c. indemnitate. Item si electio sit celebrata tantum a majori parte, & nulla monialium opponat, erit confirmanda; at stante oppositione erit superledendum, donec super objectis fiat inquisitio, & causa examinetur,

Quar.

+  
22

Quar. 3. Ad Prælatus absens possit electionem confirmare.

Resp. Posse; quia nihil videtur ob stare. Nam in c. qua fronte de appellat. non reprehenditur Episcopus Cantuariensis, quia absens confirmaret electiones, sed quia non confirmaret in Ecclesia, aut in suo palatio, vel saltem in sua camera, sed in camera Regis. Ita contra Tambur. Pasq. n. 702. qui n. 703. asserit, Prælatum posse confirmare electionem etiam extra diocesim, si tantum necessaria sit examinatio electionis, & personæ electæ, quia hic actus exerceri potest sine strepitu, & figura iudicii; se-cus vero si pars opponat, quia iurisdictio contentiosa extra diocesim non potest exerceri.

Quar. 4. An Abbatisa electa possit ante confirmationem administrare.

Resp. Non posse ex c. Nosti, c. qualiter de elect. in 6. quia electio dat tantum iurisditionem habitualem, confirmatio vero exercitium. Excipiuntur tamen aliqui casus, in quibus ante confirmationem ministrare potest. Primus est, quando est electa tantum a majori parte, & obijciuntur contra electionem; tunc enim, usquedum examinantur objectiones, administrare poterit, ex dispositione c. Indemnitatibus §. si vera. Nec poterit impediri ab administratione etiam præ-textu alterius electionis subsecutæ, quia omnia subsecuta contra eius administrationem attentata sunt ex d. cap. ex quo pariter habetur, quod interim dum administrabit, non poterit aliquid alienare, nec aliquam ad habitum recipere. Secundus, si a confirmante tam longe distet, ut sine gravi incommodo non possit differri administratio; nam tunc poterit administrare, ut notat communiter Doctores. Item, fallit supradicta

gula,

gula, in casu quo non fit in usu talis confirmatio, & resistat contraria consuetudo. Quamquam dici possit semper intervenire confirmationem, quia, eo ipso quod electioni non opponatur, per tacitum consensum confirmatur.

Quar. 5. An Abbatisa debeat benedici.

Resp. Affirmative ex Clement. Attendentes §. statuimus de statu Monachor. ubi apponitur pœna amissionis muneris, & juris acquisiti contra negligentes petere benedictionem ultra annum, nisi tamen ulterius differant ea causa rationabili, quam probare ad ipsas spectabit. Nec sufficit, quod petant, sed necessarium est, quod suscipiant, quia textus habet, Munus benedictionis suscipiant. Hoc tamen non habet locum quoad omnes Abbatisas, sed tantum quoad illas, quæ consueverunt benedici; unde non omnes benedicendæ sunt, sed attendenda est consuetudo monasterii; ut notat Navar. Miranda, Azor. Tambur. qui advertunt, Abbatisam semel benedictam, iterum benedici non posse.

Quar. 6. Quo die, & loco Abbatisa sit benedicenda.

Resp. Posse benedici qualibet die, ut notat Glos. in d. Clement. Attendentes, exceptis tamen diebus luctus ex ritu ecclesiastico, quales sunt illi, in quibus celebratur memoria Passionis Domini, quia benedictio Abbatisæ est actus lætitiæ, & solemnitatis. Benedici autem debet in Ecclesia exteriori, adhibitis tamen tantum monialibus, quæ sunt necessaria in ministerio. Ita ex declaratione Sac. Congreg. Pasqualig. loc. cit. n. 713.

Quar. 7. Ad quem spectet Abbatisarum benedictio.

Resp. De jure communi spectare ad Episc-



copum, Barb. de posest. Episc. alleg. 27. n. 51. Quod tamen modo procedit tantum quoad Abbatissas subjectas Ordinario, nam exemptæ, & immediate subjectæ Sedi Apostolicæ, sicut confirmandæ sunt a Summo Pontifice, vel ejus Legato, ita etiam benedicendæ. Subjectæ vero Abbat. Regul. benedicendæ sunt ab ipsis, ut tradit Tambur. de jure Abbat. t. 1. disp. 22. q. 8. n. 2. Extant enim privilegia hoc concedentia; quorum primum est Innocentii VIII. sub die 9. Aprilis 1489. Alterum Clem. VIII. sub die 24. Julii 1599. concessa Abbati monasterii Cistercii.

Quar. 8. An hæc facultas possit delegari.

Resp. Polse committi non solum Abbatibus benedictis, sed etiam non benedictis, quia hi ex concessione S. Pii V. 17. Kal. Febr. 1566. facta Abbatibus Canonicorum Regularium se habent in omnibus, ac si essent benedicti. Immo cum hæc sit simplex benedictio; nec excedat potestatem sacerdotalem, forte committi poterit simplici Sacerdoti, præsertim quia Clemens VIII. in privilegio præallegato concedit, quod Abbas Generalis possit deputare Vicarios pro hoc munere, nec requirit, quod sint Abbates. Pasqual. n. 715.

## CAPUT X.

### De Monialium Privilegiis.

Quar. 1. **A**N moniales exemptæ gaudeant privilegiis sui Ordinis, quibus gaudeant Regulares exempti.

Resp. Gaudere illis privilegiis, quorum ipsæ sunt capaces ratione status, & sexus. Ita Rodrig. D. Antonin. Paludan. & alii, quos refert, & sc.

& sequitur Tamb. de jur. Abbat. disp. 17. q. 1. contra Barb. Sanch. & alios. Ratio est, quia fere omnes moniales Regularibus subjectæ communicationem privilegiorum propriæ religionis sortitæ sunt, ut videre est apud Tambur. loc. c. Tum quia masculinum præcipue in materia favorabili, & ex identitate rationis concipit foemininum in iis, quæ foemininis possunt adaptari, l. 1. ff. de verb. signif. & ibi communiter scribentes. Tum quia, cum vivant sub eadem regula, sunt pars Ordinis ipsorum, & ideo tanquam pars gaudere debent privilegiis totius.

Quar. 2. An hujusmodi privilegiis gaudeant moniales Episcopo subjectæ.

Resp. Gaudere. Ita Castropal. cum relatis a Céspedes de exempt. Regular. c. 23. dub. 344. Ratio est, quia licet regantur ab Episcopo, non desinunt esse pars Ordinis, quia dum regulam talis Fundatoris profitentur, habent ipsum pro Fundatore, quanquam ab aliis sint institutæ. Si igitur sunt pars, debent communicare cum suo toto, atque adeo de privilegiis totius participare. Neque moniales per hoc, quod priventur privilegio exemptionis per subjectionem Episcopo, amittunt privilegia sui Ordinis; quia per mutationem non extinguuntur privilegia, quæ sunt compatible cum statu mutato. Seraph. dec. 1414. præsertim cum privilegium tollens unum non tollat aliud, l. si domus sua ff. de servit. præd. urban. & cap. Pastoralis de privil.

Quar. 3. An moniales diversorum Ordinum, qui simul communicant in privilegiis concessis unicuique illorum, participant per eandem communicationem de ipsis.

Resp. Participare. Ita Doctores relati a Pignat.